

Cap. XX[X]VIII. Rubrica de burcho comunis non concedendo. R.ca.

Statuimus quod burchum comunis nullo modo vel causa alicui persone dari vel mutuari possit nec debeat per dominium Tergesti vel aliam spetialem personam, sub pena centum sold. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta.

Cap. XX[X]VIII. Rubrica de bressaliis faciendis.

Ordinamus quod per dominium Tergesti fieri debeant tria bressallia causa balistrandi, quorum unum extra Ianuam Riburgi alterum extra Ianuam Cavanne et tertium in contrata Castelli ubi melius videbitur dominio convenire, et quod illi de contrata Cavanne de contrata Riburgi et de contrata Castelli facere debeant dicta bressalia, quibus per comune Tergesti dari debeant lignamina et aguti ad hoc necessaria pro ipsis bressaliis fatiendis.

Cap. XXX[X]. Rubrica de una domo fienda ad bucham portus Tergesti. Et quodlibet regimen expendere debeat .X. sold. gross. in aptacione dicti portus [et quod]¹⁾ aliquis prohibere [non] debeat inmundicias in portum.

Ordinamus quod dominium // Tergesti sacramento fieri facere teneatur et debeat unam domum super bucham portus comunis, cum una catena ad dictam bucham, cum qua catena de nocte claudatur bucha predicta, in qua domo omni nocte stare debeant duo ex custodibus civitatis Tergesti, de illis qui vadunt ad custodiendum vuaytas civitatis Tergesti, ad quam vero catenam fieri debeat una seratura cum una clavi, quam clavim ipsi duo custodes habere et tenere debeant

¹⁾ L'integrazione è confortata dalla rubrica corrispondente degli Stat. 1365.